lia perfectè mixta, sed inanimata, ut Saxa, Marmora, Metalla. Alia quæ animam habent vegetativam, ut Plantę. Sunt quæ insuper sensitivam, ut Bruta: sunt denique in supremo & ultimo rerum compositarum gradu, quę præter hæc omnia animam habent rationalem, ut Homines. Nos sua Astronomis, Physicisque relinquentes, Orbē terrarum potissimùm considerabim⁹. Terra universa Mari, Fluminibus, Paludibusque variè intersecta, Orbē absolutum cum illis omnibus constituit. Homerus sanè non aliam ab causam eam vocat *orbicularem*. Et Numa Pōpilius, idem spectans ædem Vestæ rotundā consecravit. Neque verò aliam ejus figuram esse posse cùm ex gravium ad unum aliquod punctum tendentiū ratione demonstravit Aristoteles, tum ex Ecclipsibus & horologiorū umbris à Mathematicis probatur Præterea longis certisq; peregrinantiū observationibus deprehensum est, lōgitudines & latitudines locorū pro intervallis variari, adeò ut & Periæcos, & Antoecos & Antipodas esse certius sit, quàm ut ullâ prolixiore demonstratione ostendendum sit. Hunc Orbē continere, in circuitu, quo maximè patet, gradus 360 antiquitas docuit, idémque recentior asserit ætas, unde si singulis gradibus tribuas milliaria Germanica XV, vel Italica LX, non erit difficile inire rationem ambitus totius Terræ. Ac de Terrâ quidem quatenus ea cum mari Orbē constituit pauca ista sufficiāt. Eadē prout ab aquis distinguitur, & in Sacris, *Arida*, appellatur, proprium est Hominum domicilium. Huic uni propter eximia merita cognomentū indidimus maternæ venerationis. Hæc nos nascentes excipit, natos alit, semélque editos sustinet semper: noviſſimè complexa gremio jámque à reliquâ naturâ abdicatos desertósque, tum maximè ut mater operit.

Terræ ambitus.

Terræ qualitas.

De mari hoc loco aliquid etiam adjiciendum: Mare aliud vocamus Mediterraneum, aliud Oceanum. *Oceanus* quem Sacræ literæ appellāt abyssum aquarum, reliqua omnia suâ vastitate & magnitudine superat, diffunditurq; per totam Terram, ac per diversas Mundi oras variarum gentium Littora, Insulas, Promontoria, flexuoso meatu oberrans, nomen cum locis mutat. Alibi vocatur *Occidius*, alibi *Eōus*, *Æthiopicus*, *Hispanicus*, *Atlanticus*, *Scythicus*, *Gallicus*, *Britannicus*, *Germancius*, *Hyperboreus* & *Glacialis*: alibi ex recentiorum observationibus, *Mare del Sur* sive *Pacificum*, *Archipelagus Lazari*, *Mare Indicum*, *Lantchidal*. *Mare mediterraneum* Africam ab Europâ disterminat, & pro regionum situ diversa habet nomina. Neque verò sterile omninò est mare: fert Pisces, fert Plantas, fert Gemmas. In primis notandum est, quàm dædalo artificio natura pleráque omnia quæ aut in terris aut in aëre visuntur, voluerit in mari repræsentare. Mitto Elephantes, Porcos, Testudines, Canes, Vitulos, Equos. Mitto Falcones, Hirundines: ipsum Hominē expressit in Equite marino, Sirenibus, Nereidibus, atq; etiam in Monacho. Iam Corallus, Margaritæ, Ambra, Succinum, Spongiæ, aliáque infinita, quem non meritò in admirationem trahant & adorationem supremi Numinis? Sed de his hoc loco satis copiosè, ad distributionem Orbis Terrarum accedamus. Terrarum Orbem veteres, nunc in duas partes, nunc in tres sunt partiti. In tres partes distributio, Europam, Asiam, Africam, vel Libyam, maximè celebres apud veteres, quibus novus Orbis nondum innotuerat. Sed inventâ Americâ, eam pro quartâ parte ætas nostra adjecit. Mercator noster, hunc Orbem Terrarum in tres continentes distinguit: Primam vocat quam veteres in tres partiti sunt: secundam quam nunc Americam vocamus: tertiam Terram Australem, sive Magellanicam. Nos verò Orbem universum in quinque partes dividimus Europam, Africam, Asiam, Americam, & Terram Australem.

Mare.

Commoditates Maris.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 2020, [17] - 5
PUBLIC DOMAIN